



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Restitutio vbi fieri debeat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

sessione tuendus sit : quia præda et si non est prædæ  
nis simpliciter , est tamen ipsius ad custodiendum ut  
reddatur domino: tenetur enim ipse reddere. Verum  
tamen quando sine scandalô potest publicè vel secrè-  
tè res redi domino sine alterius iniuria , damno vel  
periculo reali,hoc est quo ad rem, potest in foro cō-  
scientiæ restitui domino , tanquam exequendo ius  
naturale dormiente iure scripto : vt si restituenda sit  
ablata res aliena deposita apud suspectum deposita-  
rium: aut ablata à fure aut latrone , aut usurario qui  
non creduntur vñquam restituturi : potest restitui  
vero domino,cum illo salis grano quod prouideatur  
ne iterato contingat fieri restitucionem si quandoq;  
venerint illi occupatores ad poenitentiam.

Quacunque autem ex causa contingat restituere  
alicui mortuo,ignoto vel absenti seruandum hoc est  
quod mortuo succedit hæres : ignoto verò post exa-  
ctam diligentiam ad cognoscendum succedit Chri-  
stus:de quo scriptum est quod hæres est vniuerso-  
rum. Absenti autem si fideliter & facilè mitti potest,  
mitti debet , vel saltem significari vt disponat de tali  
re sibi debita in tali loco , nisi forte res tam parua sit  
& absentia tam à remotis , vt arbitrio boni viri cen-  
seatur ratum habendum à domino si sciret,quod de-  
zur Christo pro salute domini . Verum quando res  
mittenda esset , non sine sumptibus debet mitti  
sumptibus eius qui iniuste accepit : quoniam ipse  
semper fuit in mora & in causa iniqua quod do-  
minus rei non potuit vti re sua antequam perue-  
niretur ad hunc articulum necessitatis vt oporteat  
illi mitti.

### *Restitutio vbi fieri debeat.*

**C**Apud quintū,vbi restitutio est facienda . Discer-  
e, si restitutio consurgit ex sola re aliena , resti-  
tutio

ratio est exercenda vbi res illa aliena habetur: ut possessor bona fidei ex restitutio*nis* opere iusto non reportet damnum, quum non fuerit in culpa. Si vero restitutio consurgit ex actione iniusta, restituendum est vbi acceptio iniusta patrata est, si locus congruit restitutio*nis*: ut sic restituatur in pristinum statum in quo inuenta est tam res accepta quam possessio domini. Si vero locus ille restitutio*nis* non congruit, restituendum est vbi est dominus, seu illic quo tunc dominus translatus rem suam erat: & breviter debet dominus seruari indemnis, & grauari occupator qui semper fuit in mora.

*Restitutio non debet differri, sed citius  
quo fieri possit incipienda.*

**C**Apum sextum, quando restitutio fieri debet. Ceterum est oportere fieri statim: quia restituere licet pertineat ad præceptum affirmatum obligans pro loco & tempore, habet tamen annexum præceptum negatiuum scilicet non detinebis alienum inuito domino, negatiuum autem præceptum obligat semper & ad semper: & propterea statim oportet restituere. Quod intellige cum grano salis, hoc est quod quantum ad præparationem animi statim habendus est animus non detinendi alienum inuito domino, sed paratus restituere cuique quod suum est: quantum vero ad exequutionem restitutio*nis* tempore congruo reddere: non enim oportet surgere media nocte ad restituendum, sed cum prudentia aetum restituendi exercere, seruando congruas circumstantias loci, temporis &c.

Aduerte hoc in loco, ut quum de restitutio*nis* iudicas, habeas semper praे oculis præceptum negatiuum scilicet no detinebis alienum inuito domino: quoniam hinc videbis quod sola aut voluntas domini, aut igno-